Fragmentarium

f. 29

Atticus

Nr. 29, fol. 2

Atticus fuit quidam nobilium romanorum et valde familiaris cic-
eroni. qui cum esset sapiens in philosophicis sententiis et in secularibus
negociis optime eruditus: tum dubitabat an senectus esset tale
bonum. nec ne. Nam philosophi senectutem affirmabant esse tale
bonum. At cetera populus dicebat senes esse stolidos. Iterum
dubitabat de amicicia an esset appetenda propter utilitatem
an propter virtutem. Nam philosophi dicebant appetendam propter virtutem. populus
autem propter utilitatem. Hac igitur dubitatione atticus commotus: contu-
lit se ad ciceronem. tum causa amicicie: tum causa sapiencie: qui
ei diligenter omnes questiones solvere solebat. eumque oravit ut scriber-
et duos tractatus. unum de senectute: alium de amicicia. cogeb-
at enim predictus atticus dubitare cui sententie assentiret. quia in utroque
disserti homines habebantur. Itaque causa amici fecit librum quendam
de senectute: et alterum de amicicia. comprobans senectutem esse ta-
le bonum. tum comprobans amiciciam non esse appetendam causa utilitatis. sed
causa virtutis. Causa inventionis ciceronis fuit rogatus attici. Intencio eius est
confirmare omnes homines in vera amicicia. et tractare proprietates eius.
Materia est ipsa vera amicicia. et precepta eius vere. Utilitas eius est ut
sciamus veros amicos a non veris discernere. Ethice supponitur lib-
er iste. quem alii lelium quoniam in eo plus lelius disputat. alii vero tull-
ium dicunt. Tractantes de amicicia considerare debemus quot mo-
dis dicatur amicicia. Dividitur itaque quadrupliciter. amiciciarum
alia utilis et vera. alia utilis et non vera. alia vera et non utilis. alia nec vera nec utilis.
Titulus tribus modis dicitur. aliquando sumitur a nomine auctoris tantum. aliquando a nomine operis
tantum. aliquando ab utroque: continens utrumque ut hic. In hoc vero prologo duo notantur. scilicet operis
commendatio. et laudat scevole magistri sui et sententiam ponit in
hoc libro habitam a quodam sapienti scilicet lelio. hic scevole doctore et soce-
ro. Modus agendi talis est. introducit personas colloquentes. Omne genus car-
minis triphartitum est. aut tantum persone solent introduci ut in terencio.
aut ista non auctor ut in salustio. aut tam auctor quam persone
ut in boetio. hoc igitur carminis genus ubi persone introducuntur erat apud anticos
autenticum. et ideo tullius hoc genus apposuit. Iterum
amiciciarum alia vulgaris. alia mediocris. alia vera et perfecta. Vu-
lgaris quam habent inter omnes pro temporali beneficio. qua cessante cessat
et ipsa. Mediocris est illa que habetur tantum pro temporali beneficio: set
natura. sicut inter propinquos. Vera et perfecta est illa que non adquiritur propter
is. non deserit adversis: incipiens a probitate nature et tamen de-
serviens honestis. Intencio sua est tractare de vera et perfecta am-
icicia. hoc facit invitando omnes ad veram amiciciam et
perfectam. exemplo lelii et scipionis. Utilitas est ut sciamus ve-
ram et perfectam amiciciam non posse esse nisi inter bonos;

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 92.29, 1r – Accessus in Ciceronis De amicitia; Horatius, Ars poetica, cum glossis (https://fragmentarium.ms/view/page/F-761y/5262/49944)